



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina
Septentrionis Regna**

Adamus <Bremensis>

Helmetadi[i], 1670

III. Anonymi cujusdam, sed vetusti itidem scriptoris, in Adamvm Scholia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11096

SCHOLIA ANTIQUA

IN

M. ADAMUM.

- Pag. 1. nu. 1.] Einhardus ex Capellanis Caroli Imperatoris, vitam ejus descripsit & bella Saxonum.
- Pag. 11 nu. 2.] Sedente tunc Paulo PP. 1.
- Pag. 13. n. 3.] *Fresia* regio est maritima, inaccessa in vis paludibus, habetque pagos XVII. quorum tertia pars Bremensem respicit Episcopatum, hiis distincta vocabulis: *Ostraga, Rustringe, wanga, Diesmeri, Herloga, Nordi* atque *Morseti*. Et hii VII. pagi tenent Ecclesias circiter L. Hanc *Fresia* partem dirimit à *Saxonia* palus, quæ *Walpinga* dicitur, & *Wirraha* fluvii ostia. A reliqua *Fresia* palus *Emisgoë* terminat, & mare Oceanus.
- Pag. 15. n. 4.] Scriptum est in gestis *S. Ansgari*, & privilegiis Romanorum Pontificum.
- Pag. 20. n. 5.] *Turholtz* monasterium *Flandria* nobilissimum est, monachis insigni, pro quo recuperando vetus querela est Ecclesie nostræ Pontificibus. *Adelbertus* autem Archiepiscopus ad eum finem perduxit negotium, ut dato concambio quæstio removeretur: quod Cæsar & Dux *Flandria* collaudabant.
- Pag. 22. n. 6.] *Turholtz* monasterium in *Flandria* situatum alienatur ab Ecclesia *Hammaburgensi*.
- Pag. 24. n. 7.] Concilium unionis factum est *Wormatia* præsentis Cæsaris cum Episcopis, sicut privilegium testatur.
- Pag. 29. n. 8.] *Aquiagrani* palatium usque ad tempus *Otonis* per annos LXXX. vastatum permansit, quod destruxerat *Ordvrig* princeps.
- Pag. 34. n. 9.] *Gotafrid* & *Sigafried* Reges ibi sunt occisi.
- Pag. 34. n. 10.] Ambo enim Rex & Papa miserabilem vitæ finem invenerunt, quia *Formosus* Papa à successore suo & mortuus de gradatus est, & de sepulchro eiectus. *Arnulfus* vero rex vivens à vermibus consumptus, veneno tandem extinctus est, magna Dei vindicta.
- Pag. 35. n. 11.] *Stephanus* Papa qui sedit annos VI. *Hermannum* Colonensem Archiepiscopum, & *Adalgarium* *Hammaburgensem* Archiepiscopum, de *Bremensi* contendentes Ecclesia, *Wormaciam* ad Synodum venire præcepit, & *Remensi* Archiepiscopo *Fulconi* vice sua commissa, causam eorum examinari mandavit.
- Pag. 48. n. 12.] *Sturmarios* affluit ab oriente *Bilena* fluvius, qui mergitur in *Albiam* flumen, sicut ille superior.
- Pag. 48. n. 13.] *Travena* fluvius est, qui per *Wagros* currit in mare *Barbarum*, juxta quem fluvium mons unicus est. *Albere* est civitas *Luitbeke*.

Num

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

- N. 49. 14.] *Zventina* fluvius currit à lacu in quo *Plone* civitas sita est. Inde per saltum vadit *Isarnho*, mergitur inque mare *Scythicum*, non longe ab oppido *Kyl*.
- Pag. 49. n. 15.] Trans *Oderam* fluvium primi habitant *Pomerani*. Deinde *Polani*, qui à latere habent hinc *Pruzzos*, inde *Boëmos*, ab oriente *Ruzzos*.
- Pag. n. 16.] *Chizzini* vel *Circipanicis* *Panim* fluvium habitant, *Itholosantes* vel *Retharii* trans *Panim* fluvium; hos quatuor populos à fortitudine *Wilzoz* vel *Lenticos* appellant.
- Pag. 51. n. 17.] *Marachi* sunt populi Slavorum, qui sunt ab oriente *Boëmorum*, habentque in circuitu hinc *Pomeranos* & *Poldanos*, inde *Vngros* & crudelissimam gentem *Postinagos*, qui humanis vescuntur carnibus.
- Pag. 52. n. 18.] Anno Domini *cccc. lxxvi*. *Dani* ad fidem sunt per *Poppo* nem quendam conversi, qui ferrum candens & ignitum in modum chirothecæ formatum, coram populo sine læsione portavit, quod videns *Rex Haroldus* abjecta *Idololatria* cum toto populo ad colendum verum Deum se convertit. *Poppo* autem in *Episcopum* est promotus.
- P. 53. n. 19.] Anno Domini *cccc. lxxiiii* *Wentzlaus* princeps *Boemiz* à fratre suo *Bogezlao*, qui principatum sibi usurpavit, martyr izatur, pro quo Deus urbem *Pragam*, ubi requiescit, multis miraculis illustrat.
- Pag. 56. nu 20.] Dicunt aliqui quendam *Ottone* vicedominum hujus *Libentis* Electum cessisse, licet idem avunculo gloriatus sit Pontifice *Adaldago*. *Otto* iste vir nobilissimus apud *Magdeburg* vicedominus fuit & *Canonicus*. In isto enim *Libentio* nihil reprehensibile vel inimicus poterat oblicere.
- Pag. 57. n. 21.] De hoc *Sigafido* grande fertur miraculum, quia cum cœnobium *Ramsolam* invaderet prædado, maligno statim in vasus spiritu, non ante meruit liberari, quam sua *Ecclesiæ* restituit & de prædio suo fratribus opulentam villam in servitium donavit.
- Pag. 59. n. 22.] *Hericus* rex *Sveonum* cum potentissimo rege *Polanorū Bolizlao* fœdus iniit. *Bolizlaus* filiam suam *Herico* dedit uxorem, cujus gratia societatis *Dani* à *Slavis* & *Sveonibus* juxta impugnatifunt. *Bolizlaus* rex Christianissimus cum *Ottone* tertio confœderatus, omnem vi *Slavoniam* subjecit & *Ruziam* & *Pruzzos*, à quibus passus est sanctus *Adalbertus*, cujus reliquias tunc *Bolizlaus* transtulit in *Poloniam*.
- Num. 23.] Iste *Odinkar* à Rege *Knut* in *Angliam* ductus literis est eruditus. Deinde discendo pervagatus sapientis & *Philosophi* nomen accepit. Unde & Deo charus nomen sortiri meruit.
- Pag. 62. n. 24.] *Olaph* *Thrucci* filio interfecto *Craccaben* duo regna possedit. Qui mox destructo *Idololatriæ* ritu *Christianitatem* in *Nordmannia* per edictum suscipi iussit. Tunc etiam

Gesebal

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM

- Osvaldus* quendam ab Anglia venientem Episcopum in *Sconi* posuit doctorem, qui aliquando in *Suedia* & in *Norvegia* evangelizasse narratur.
- Pag 62. n. 25.] *Mistivoyi* cum Christianitatem desereret, depulsus à patria, confugit ad Barbaros, ibique fidelis consenuit.
- Num 26.) *Aldinburg* civitas magna Slavorum est, qui *Wagri* dicuntur, sita juxta mare, quod Balticum vel Barbaricum dicitur, itinere diei ab *Hamma-burg*
- Pag 63. n. 27.) Anno Domini M. x. gens Ungariæ ad fidem convertitur per *Gulam* sororem Imperatoris, quæ nupta regi Ungariæ ipsum Regem induxit, ut se & suos baptizari faceret, & in Baptismo *Stephanus* est appellatus, qui postea sanctus fieri meruit.
- Pag 64. n. 28.) *Ramsola* sita est in Episcopatu Ferdensi non longe à vico *Bardorum*. Cujus ordinationem & jus gubernandi cum Ferdensis Episcopus reposcret; Apostolicæ sedis decreto cessit ab incepto. *Oddo* legatus fuit ad Papam, ut haberet Privilegium.
- Num. 29.) Sermo est hunc per Simoniacam pestem intronizatum, eo quod magnam habuit hereditatem Cujus partem ipse invitus Imperatori divisit, partem vero alteram Ecclesiæ suæ obtulit, quam pie gubernavit; tertiam parentibus dimisit. Senex venerabilis & amator pauperum, maxime eorum qui parvuli erant. Qua occasione fratres à Claustro licentius egressi, mulierum consortia primo abscon-se petebant.
- Pag. 65. n. 30.) *Vnyvanus* Archiepiscopus in plerisque Paschæ aliisque festivitibus *V. r. i.* Episcopos secum habuit. Et præterea Abbates, non minus Ducem, & aliquos hujus provinciæ Comites, magno singulos amore amplectens.
- Pag 66. n. 31.) *Odinkar* filius *Toki* Ducis Winlandensis, sedem in *Ripa* habuit. Nam tertia pars terræ Winlandensis patrimonium ejus fuisse describitur, & tamen vir tantarum divitiarum miræ fuit continentia. Cujus unum virtutis exemplum erat, quod omni quadragesimali tempore, semper alternis diebus iussit se verberibus à quodam suo affligi presbytero.
- Pag. 67. n. 32.) *Knut* filius *Svein* Regis, abjecto nomine gentilitatis in Baptismo *Lambertus* nomen accepit. Vnde scriptum est in libro fraternitatis nostræ. *Lambrecht* Rex Danorum & *Imma* Regina, & *Knut* filius eorum devote se commendarunt orationibus fratrum *Bremensium*.
- P. 68. n. 33.) *Adelrad* potentissimus Anglorum Rex à legitima filium habuit *Eduardum*, virum sanctissimum. Cujus noverca *Affikud* (alii *Affiluid*) fuit, quæ regem privignum occidens, filium suum *Amindum* in regnum posuit.
- Num 34.) *Knut*, sororem suam *Estred* filio Regis de *Ruzzia* dedit in matrimonium.
- Num. 35.) *Richardus* enim dimissa sorore Regis *Knut*, propter metum Danorum exulans à patria, *Hierosolymam* profectus

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

- ctus est, ibique defunctus. Cujus socii
 XL. revertentes in *Appulia* remansisse
 narrantur: & ex illo tempore Nord-
 manni possederunt *Appuliam*.
- Pag. 71. n. 36.) *Olaph* sollicitissimus festivi-
 tatum observator, cum propter Divi-
 nam religionem à Regno depulsus es-
 set, & denno bello regnum recuperas-
 set, in ipso procinctu in papilione dor-
 miens fertur somnium vidisse. Cumq;
 supervenirent hostes adhuc illo quie-
 scente, Dux exercitus sui *Phin* nomine
 accedens regem excitavit. Tunc ille
 suspirans: *O quid fecisti?* inquit: *videbam*
me per scalam, cuius vertex sidera tangeret,
ascendisse. Heu iam perveneram ad scala-
illum summum calumque mihi apertum est
ingredienti, nisi tu me suscitando revocas-
ses. Postquam visionem vidit Rex, cir-
 cumventus à suis, cum non repugna-
 ret, occiditur & martyrio coronatur.
- Pag. 73. n. 37. Mulieres autem quæ se Ca-
 nonicis aperto jam scelere conjunxe-
 rant, præcepit extra civitatem fieri. Et
 ita per villas proximas in custodiam
 sunt dispersæ: cessavitque hic morbus
 usque ad incensionem templi, & de-
 structionem claustrum.
- Pag. 75. nu. 38.) *Inclyta* senatrix *Emma*,
 prædicante *Libentio* Archiepiscopo
 sanctæ *Bremensi* Ecclesiæ duas *Cruces*,
 & *Tabulatâ* altaris, & calicem, omnia
 ex auro & gemmis parata in quibus e-
 rat marcæ xx. obtulit etiam vestes sa-
 cras & præparamenta multa, & stolas
 aureas, & dorsalia & libros.
- Num. 39.] *Hermannus* ab in colis terræ pa-
 ludem *Etinborch* comparavit. Quod
Conradus Imperator præcepto suo Ec-
 clesiæ firmavit. Cujus rei chirographum
 in archivo creditum potest videri.
- Num. 40.) Iste *Sindger* ex *Papinburgensi*
 Episcopatu assumptus est in sedem A-
 postolicam, rejectis ex ordine tribus
 schismaticis.
- Pag. 76. n. 41.] Iste Clericis Ecclesiæ suæ,
 quos videbat auxilio indigos, largie-
 bat, aliquibus abscondite quaternos
 aut denos solidos argenti; multis præ-
 bendas; aliis suas vestes; plerisque etiam
 compatiens, quod à laicis inhoneste
 tractarentur, percussores eorum fecit
 ante se & colaphis cædi, & taureis va-
 pulari.
- P. 77. n. 42.] Civitatem muro circumdari
 disposuit tribus portis & xii. turribus,
 ita ut primam Episcopus, alteram Ad-
 vocatus, tertiam Præpositus, quartam
 Decanus, quintam Magister Scholarum,
 sextam fratres & Canonici, alias sex ci-
 ves adhibitis fortirentur custodiis.
- P. 79. n. 43.] Quo tempore *Hermannus* no-
 bilissimus *Coloniensis*. Archiepisco-
 pus veterem de *Brema* querimoniam
 renovavit. Sed & ipse tam auctoritate
Bezelini, quam triennali silentio repul-
 sus Archiepiscopo nostro satis fecit, &
 per integrum mensem secum *Coloniæ*
 habuit in convivio.
- P. 79. n. 44.) *Magnus* Rex classe magna sti-
 patus Danorum, opulentissimam Sla-
 vorum obsedit civitatē *Iuminem*. Cla-
 des par fuit. *Magnus* omnes terruit
 Slavos, juvenis sanctus & vitæ inno-
 centis.

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

- centis. Ideoque victoriam dedit illi Deus in omnibus.
- P. 81. n. 45.] Archiepiscopus præpositurâ *Edoni* tulit, pro cuius rei zelo junior *Edo* nepos ejus iratus Monasterium incendit. Pro cuius sacrilegii compositione pater *Edonis* suam hæreditatem obtulit Ecclesiæ. *Edo* vero Præpositus Hierosolymam peregrinus abiit. Circa festum Sancti Jacobi egressus, rediitque in proximo Pascha.
- P. 82. n. 46.] Ajunt enim quidam invidiorum, Episcopum solum nævum superbiæ habuisse. Vnde inter ipsum & *Brun Ferdensem* Episcopum contentio erat indigna Episcopis. Et hoc maxime propter superbiam cujusdam *Wolfredi* Advocati, qui subita & miserabili morte obiit, sicut Archiepiscopus.
- P. 82. n. 47.] Ipso anno quo Archiepiscopus decessit, migravit, etiam *Odinkar Ripensis* Episcopus. Qui diem Paschæ celebrans, ordinavit res suas certis extremorum.
- P. 88. nu. 48.) *Clemens* Papa renovavit Ecclesiæ nostræ Hammaburgensi omnia privilegia, quæ dudum à Romana sede concessa sunt.
- P. 90. nu. 49.] *Svein* à Magno victus, cessit fortunæ, & factus est homo victoris, faciens ei sacramentum fidelitatis. Sed cum denuo rebellare coepisset, consilio Danorum nihilominus à Magno superatus est. Itaque fugiens *Svein* ad *Jacobum* venit, apprime dolens pro fide pollicita, quam violavit.
- P. 91. n. 50.] *Haroldus* à Græcia regressus filiam regis Ruzziæ *Gerzles* uxorem accepit. Alteram tulit *Andreas* rex Ungarorum, de qua *Salomon* genitus est. Tertiam duxit *Heinricus* Rex Francorum, quæ peperit ei *Philippum*.
- Num. 51.] Sicut enim prius diximus, *Knue* Rex Danorum sororem suam, quæ à *Richardo* Comite repudiata est, dedit *Wolf* Duci suo, ex qua nati sunt, *Svein*, *Tofti*, & *Haroldi*; & ista *Gude*, quam Rex *Edvard* in conjugio habuit. Deinde *Svein* filius *Gudevini* occidit *Bern* filium avunculi sui. *Harold* autem, cum esset vir fortissimus, *Griphum* Iberniæ regem propulit ab Anglia Danorum, ipsumque cognatum & Dominum suum Regem *Edvardum* pro nihilo habuit. Sequitur vindicta Dei, & plaga Nordmannorum, & excidium Angliæ.
- P. 92. n. 52.) Illo egresso, Bremense claustrum regula, disciplina fratrum, & concordia defecit, acephalis omnia turbantibus.
- Num. 53.) Alia erat *Gunhild* relicta *Amundi*, alia *Gande*, quam *Thore* interfecit.
- P. 93. n. 54.) *Adalvvardus* Episcopus à Rege *Haroldo* invitatus venit in Nordmanniam. Ibiq; corpus Cujusdam viri, qui ante xz. (alii lx.) annos defunctus est, nec omnino putrescere potuit, facta absolutione reconciliationis mox in pulverem redegit. Erat enim ille homo quondam à *Libentio* Archiepiscopo propter piraticam excommunicatus, ut ipsi per visionem revelatus est *Adalvvarde*.
- P. 94. n. 55.] *Haroldus* Rex ab illo die dis-

æxit

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

- rexit Episcopos suos in Galliam, multos etiam venientes ab Anglia suscepit. Quorum unus fuit *Asgoth*, quem redeuntem ab urbe Apostolorum, comprehendi iussit Archiepiscopus, acceptoque fidelitatis sacramento dimisit abire donatum.
- Nu. 56.] Fama est eo tempore duos Monachos à Boëmiæ saltibus in civitatem *Rethre* venisse, ubi dum verbum Dei publice prædicarent, concilio paganorum, sicut ipsi desideraverunt, diversis primo suppliciis exanimati, ad ultimum pro Christo decollati sunt. Quorum quidem nomina hominibus incognita, ut veraciter credimus, in cælo scripta sunt.
- P. 96. n. 57.] In ostio Peanis fluvii civitas maxima est, quæ *Dimine* vocatur, ibi est terminus Hammaburgensis parochiæ.
- P. 97. n. 58.) Clarissimus Rex Danorum *Sela* mulierum incontinentia laboravit, non tamen sponte, ut arbitror, sed vitio gentis. Nec tunc illi malo defuit ultio, quia ex concubinis ejus *Thore* nomine, legitimam ipsis Reginam, *Gude* veneno extinxit. Cumque Rex *Svein* filium *Thore*, *Magnum* vocabulo, Romam transmitteret, ut ibi consecraretur in Regem, infelix puer in via defunctus est, post quem mater impia non suscepit alium filium.
- P. 98. nu. 59.] Dicit enim scriptura Pharaoni: *Quia in hoc ipso excitavi te, ut ostendam virtutem meam in te, & glorificetur nomen meum in gentibus.* Ergo cui vult miseretur Deus, & quem vult indurat.
- Pag. 98. n. 60.] Ibi que locavit caput Sancti *Secundini* Thæbeorum ducis, cujus patrocinia Metropolitanus in Italia, largiente quondam Taurinensi Episcopo, suscepit.
- Pag. 101. n. 61.] Difficile est enim, ut laudabiliter viventem, laus humana non capiat. *Leo* Papa.
- Pag. 102. nu. 62.] Audivimus, cum sæpe numero *Adalbertus* Archiepiscopus Clerum suum de continentia tenenda hortaretur: *Admoneo vos*, inquit, *& postulans jubeo, ut pestiferis mulierum vinculis absolvamini, aut si ad hoc non potestis cogi, quod perfectorum est, saltem cum verecundia vinculum matrimonij custodite, secundum illud quod dicitur: Si non caste, tamen caute.*
- Pag. 105. nu. 63.) Inter quos advena *Paulus* ex judaismo conversus est ad Christianam fidem. Qui nescio an pro avaritia, an pro sapientia exulatus in Græciam, cum inde remearet, nostro adhæsit pontifici, glorians se multarum artium callere ingenio, ad eo ut ex insciis litterarum philosophos redderet per triennium, & ex cupro formaret aurum obrizum. Facile persuasit ille Archiepiscopo, credere omnia quæ dixit, adiciens se subito apud *Hammaburg* monetam publicam ex auro facturum, & pro denariis bizantos dari.
- Pag. 107. nu. 64.] Ex omni victu & servitio Episcopali decima Capellano lega-

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

- legaliter quotidie reddebatur, ad sustentationem infirmorum & egenium, peregrinorumque hospitum. Sed Capellanus ad suum fraudulenter usum multa reservans, nihil pauperibus impendit.
- Pag. 116. num. 65.) *Iohannes* iste peregrinationis amore Scotiam egressus venit in Saxoniam, & clementer à nostro susceptus Archiepiscopo, non multo post in Slavaniam ab eo directus est ad principem *Godescalcum*. Apud quem illis diebus commoratus, multa paganorum millia baptizasse narratur.
- Pag. 118. num. 66.] *Haroldus* iste Nordmannorum rex ccc. naves magnas habuit, quæ oranes ibi remanserunt. Insuper massa auri quam *Haroldus* à Grecia duxit, ad *Bastardum* tali fortuna pervenit. Erat autem pondus auri quod vix bisse ni juvenes cervice levarent.
- Num. 67.) Duobus *Hericis* in prælio interfectis, *Haltzstein* filius *Steinkil* regis in regnum levatus est. Quo mox pulso accersitus est *Anunder* à Ruzzia, & illo nihilominus amoto, Sveones quendam elegerunt *Haquinum*.
- Pag. 119. num. 68.) Rex autem Nordmannorum, duxit filiam Regis Danorum, & facta est pax adinvicem.
- Pag. 120. num. 69.) Multotiens etiam cum fletu asseruit, omnes prædecessores suos in persecutione Ducum & malitia parochianorum velut in igne recoctos & allatos, unde non disside, inquit, me quoque pro veritate ab eisdem esse martyrio coronandum.
- Pag. 126. num. 76.) Iste *Nothobaldus* vir maleficus, adulator & mendax apertissimus erat.
- Pag. 128. num. 71.] *Adamatus* quidam medicus genere Salernitanus, fertur ante triduum Archiepiscopo mandasse, obitus sui diem proximum adesse. Quod ille dissimulans, *Nothobaldum* solum præ oculis habuit, quia spondit ei mutationis suæ horam cito ad futuram.
- Pag. 130. num. 72.] Nam & ipso anno, quo ex hac vita decessit, novissimo exitu, post quem non est reversus, *Brema* cum fratribus capitulum habuit, in quo *Lindgerum* Decanum, qui pro homicidio arguebatur, deposuit, & pro ipsa occasione sermonem de castitate faciens, terribiliter ad ultimum minatus est.
- Pag. 136. num. 73.) *Adalvvardus* senior utique præfectus est *Gorbia*, junior ad *Sickonam* & *Vbsolam* directus est, *Simon* ad *Scritefingos*, *Iohannes* ad *Insulas*, vigesimus erat *Eizo*, quem ipse ordinavit in Slavaniam.
- Pag. 139. num. 74.) Saltus *Isarnho* à stagno incipit Danorum quod *Slia* dicitur, & pertingit usque ad civitatem Slavorum quæ dicitur *Liubicen* & flumen *Travennam*.
- Pag. 140. num. 75.] De *Ripa* in Flandriam ad *Cuicfal* velificari potest duobus diebus & totidem noctibus: de *Cuicfal* ad *Prol* in Angliam duobus diebus

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

diebus & una nocte. Illud est ultimum caput Angliæ versus austrum, & est processus illuc de Ripa angulosus inter austrum & occidentem. De *Pro* in Britanniam ad Sanctum Matthiam uno die, inde ad *Far* juxta Sanctum Jacobum Tribus noctibus. Inde *Leskebone* duobus diebus inter austrum & occidentem. De *Leskebone* ad *Narvese* tribus diebus & tribus noctibus, angulariter inter orientem & austrum. De *Narvese* ad *Arrugnen* quatuor diebus & quatuor noctibus angulariter inter aquilonem & Orientem. De *Arrugnen* ad *Barzalun* uno die similiter inter aquilonem & Orientem. De *Barzalun* ad *Marsiliam* uno die & una nocte, fere versus orientem declinando tamen parum ad plagam australem. De *Marsilia* ad *Mezein* in Sicilia quatuor diebus & quatuor noctibus angulariter inter Orientem & austrum. De *Mezein* ad *Accharon* XIII. diebus & totidem noctibus inter Orientem & austrum, magis appropiando ad austrum.

Pag. 146. num. 76.) *Reune* Insula est Runorum, vicina *Ianine* civitati, qui soli Regem habent.

Pag. 147. num. 77.) De quarum laude gentium Horatius in Lyricis suis ita meminit: *Campestres itaque Scythæ melius vivunt & rigidi Gethæ, quarum plaustra vagas trahunt domus, nec cultura placet longior annua. Dos est magna parentum virtus; & peccare nefas, aut precium est mori. Usque hodie Turci,*

qui prope Ruzzos sunt, ita vivunt & reliqui Scythiæ populi.

Num. 78.) Cum Rex Sveonum *Emund* filium suum *Emundum* in Scythiam ad dilatandum Regnum suum misisset, ille navigio in terram pervenit foeminarum. Quæ mox venenum fontibus immiscentes, ipsam regem & exercitum ejus tali modo peremerunt.

Pag. 148. num. 79.) Qui lingua eorum *Wilzi* dicuntur, crudelissimi *Ambrones*, quos poeta *Gelanos* vocat.

Num. 80.) A *Sconia* Danorum navigantibus ad *Bircam* quinque dierum, à *Birca* & *Ruzzia* similiter per mare habes iter quinque dierum.

Num. 81.) Vbi est portus Sancti Ansgarii, & tumulus sancti Vani Archiepiscopi, familiare iniqua hospitium sanctorum nostræ sedis confessorum.

Pag. 149. num. 82.) *Pantus* in gestis Langobardorum de fecunditate gentium septentrionalium, & de septem viris qui in littore Oceani jacent in Scythingorum provincia.

Num. 83.) Dani, Sveones, & Nordmanni & reliqui Scythiæ populi à Romanis *Hyperborei* vocantur, quas *Marcianus* multis extollit laudibus.

Num. 84.) *Gothelba* fluvius à Nordmannis Gothiam separat, magnitudine non impar isti *Albia* Saxonum, unde ille nomen sortitur.

Num. 85.) Quo etiam morbo Slavi laborant, & Parthi, & Mauri, sicut *Lucanus* testis est, & de Mauris *Sallustius*.

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

- Pag. 150. num. 86.] Omnia quæ inter Barbaros aguntur, sortiendo in privatis fiunt rebus, in publicis autem causis etiam Dæmonum solent responsa peti, sicut in gestis Sancti Ansgarii potest cognosci.
- Num. 87.) Gothi à Romanis *Geta* vocantur, de quibus Virgilius dicere videretur:
 — acerque *Gelonus*
*Cum fugit in Rodopen, atque in deserta Ge-
 rarum,*
*Et lac concretum cum sanguine potat o-
 quino.*
 Hoc usque hodie Gothi & *Sembi* facere dicuntur, quos ex lacte jumentorum, inebriari certum est.
- Num. 88.) Quamvis ante hos Danorum vel Anglorum Episcopi in Svediam prædicarint. *Thurgut* vero specialiter in Gothiam ordinatus est, ad sedem *Scaranensem*.
- P. 151. nu. 89.] *Adalvvardus* quoque à Rege *Haroldo* invitatus in Norwegiam venit, & pro sanctitate & fama virtutum ejus honorifice susceptus est. Cui abeunti Rex tantum pecuniæ obtulit, ut exinde statim CCC. captivos redimeret. *Adalvvardus* autem junior eo tempore veniens in Gothiam, cognominè suum reperit infirmum: cujus exequias cum luctu procurans, *Sickoniam* properavit. Sed postea cum repulsus esset à paganis, invitatus venit ad *Scaranen* civitatem, quod nostro Archiepiscopo valde displicuit; quare sicut violatorem Canonum *Bremam* eum vocavit.
- Nu. 90.) *Halsingaland* est *Scritesingorum* regio, sita in altissimis montibus, quæ *Riphei* dicuntur; ubi nix perpetua durat. Homines ibi gelu recocti, qui dormorum non curant tecta, carne ferarum pro cibo, & pellibus earum pro indumento fruuntur. In Hyperboreis montibus, præter alia quæ ibi sunt monstra, *Gryphes* etiã leguntur nasci.
- P. 152. n. 91. Prope illud templum est arbor maxima late ramos extendens, æstate & hyeme semper viridis, cujus illa generis sit nemo scit. Ibi etiam est fons ubi sacrificia Paganorum solent exerceri, & homo vivus immergi. Qui dum immergitur, ratum erit votum populi.
- Nu. 92.] Catena aurea templum circumdat pendens supra domus fastigia, lateque rutilans advenientibus, eo quod ipsum delubrum in planitie situm, montes in circuitu habeat positos ad instar theatri.
- Nu. 93.) Nuper autem Christianissimus Rex *Sveonum Anynder*, cum sacrificium gentis statutum nollet dæmonibus offerre, depulsus à regno, ibat gaudens à conspectu concilii, quoniã dignus habebatur pro nomine Iesu Christi pati.
- P. 153. n. 94.) Novem diebus commestationes & ejusmodi sacrificia celebrantur: una quaque die offerunt hominem unum cum cæteris animantibus, ita ut per novem dies LXXII. fiant, quæ offeruntur animalia.
- P. 152. n. 95.) *Adalwardo* postea apud nos defuncto subrogavit Archiepiscopus quen-

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

quendam à Ramsola *Tadiconem*, qui propter ventris amorem domi famelic esse maluit, quam foris Apostolus.

Pag. 153. nu. 96.) Ab istis Nordmannis qui trans Daniam habitant, venerunt isti Nordmanni, qui *Franciam* incolunt, & ab hiis nuper *Appulia* suscepit tertios Nordmannos

Pag. 154. n. 97.) De sepultura Paganorum quanquam non credant resurrectionem carnis; hoc tamen est memoriale, quod more antiquorum Romanorum busta & exequias eorum omni generatione colunt. Ceterum pecuniam hominis tumulant cum eo, armaque & cetera quae ipse vivens habuit cariora. Quod etiam de judaeis habetur scriptum. Qui hoc trahunt ex antiquo ritu gentilium, in quorum Mausoleis adhuc solent inveniri talia, cum aut in amphoris, aut in aliis vasculis secum thesauros infodere iussissent.

Num. 98.) Eadem montana Romani auctores *Riphea* juga nuncupant, perpetuis horrida nivibus. *Scritefingi* vivere non possunt absque frigore nivium; qui feras etiam suo cursu per altissimas nives praevolant. *Paulus* ergo in *Historia Langobardorum* affirmat, in ultimis partibus septentrionis *Scritefingos* septem in quadam spelunca Oceani jacere quasi dormientes, de quibus est opinio diversa, & quod praedicaturi sint apud illas circa finem mundi gentes. Dicunt enim aliqui quosdam ex 21. millibus virginum, cum sociis suis illuc pervenisse; quarum

coetus & naves monte obrutae sunt, ibique fieri miracula. Vbi & Ecclesiam construxit *Olaus*. *Olaph* itaque rex iustissimus, primus Nordmannos ad Christianitatem pertraxit. *Magnus* filius ejus Danos subjugavit. *Haroldus* frater *Olaph* nequissimus, *Orchadas* suo adduxit imperio, regnumque suum usque ad *Riphæos* montes & *Island* dilatavit.

Pag. 155. nu. 99.) Licet ante illum ex nostris *Lifdag*, *Odinkar*, & *Poppo*, apud gentem illam praedicaverunt, possimus hoc dicere quod nostri laboraverint, & Angli in labores eorum introierunt. Hunc *Meinhardum* & *Albertum* alias ordinatos, cum ad se venirent, Archiepiscopus cum tribus commendavit illis vicem suam tam per Nordmanniam, quam per Insulas Oceani.

P. 156. nu. 100.) De Oceano Britannico, qui Daniam tangit & Nordmanniam, magna recitantur à nautis miracula quod circa *Orchadas* mare concretum & ita spissum à sale, ut vix moveri possint naves, nisi tempestatis auxilio; unde etiam vulgariter idem Salum nostra lingua *Liberse* vocatur.

Num. 101.) Hic apparet quod scriptor hujus libelli fuit ex Germania superiori, unde vocabula pleraque sive nomina propria, cum ad suam aptare voluit linguam, nobis corrupit.

Pag. 157. nu. 102.) Egredientibus à promontorio Danorum *Alaburg*, narrant iter esse xxx. dierum usque in *Island*,
minns

SCHOLIA ANTIQVA IN ADAMVM.

minus autem si ventum habeant secundum.

Num. 103.) Juxta Island est Oceanus glaciatus & fervens & caliginosus.

Pag. 156. num. 104.) Apud illos non est Rex, nisi tantum lex: & peccare ne-

fas, aut pretium mori.

Pag. 158. num. 105.) Judicant Halagla esse partem Nordmanniæ postremam, quod sit proxima Scritefingis; asperitate montium & frigoris inaccessibilis.

Varia Lektionen in M. Adamum quæ margini ad scribi non potuerunt.

Pag. 56. Cap. 71. *Post illa verba:* cui Hamaburgensis cum Parochiæ crederetur.) *In editione Velleiana deinde hæc ponuntur:* Dicunt aliqui, vice Dominum Ottonem, licet avunculo gloriatus sit Pontifice Adaldago, cessisse tamen hujus electioni Libentium, in quo nihil reprehensibile vel inimicus possit objicere. Dicunt enim tantæ, &c.

Pag. 62. Cap. 82. *Sub finem, post verba:* eorumque deceptus errore periit) *in edit. Velleiana hæc adduntur:* Quo interfecto, Sven duo regna possedit. Ipse igitur mox destructo ritu idololatriæ, Christianitatem in Norwegia per editum suscipi jussit. Tunc etiam Gothebaldum quendam ab Anglia venientem Episcopum in Seania posuit doctorem, qui aliquando in Svedia sæpe dicitur Evangelizasse: sæpe etiam in Norvagia.

Pag. 71. Cap. 96. *Ista verba:* Itaque ab

Olaph, &c. sic habentur in editione Velleiana: Olaph auxilio habuit Regem Ruzlorum & Sveonum, cujus filiam habuit, & de populis, &c.

Pag. 88. Cap. 125. *Quæ sequuntur post illa verba:* Ecclesiæ vero comitatum Fresiæ concessit) *al.* quem ante Godafridus habuit. Cæsar inde Lismonam veniens, mox, ut ajunt, per insidias, &c.

Pag. 94. Cap. 136. *sub finem, post aucta incrementis, in editione Velleiana adduntur:* Haraldus Rex ab illo die direxit Episcopos suos in Galliam, multos etiam venientes ab Anglia suscepit. Quorū unus fuit Algoth. Quem redeuntē ab urbe Apostolorum, comprehendi jussit Archiepiscopus; acceptoq; fidelitatis sacramento dimisit abire donatum.

Pag. 136. Cap. 206. Albricum in Wendiam) *al.* insulam, Eilbertum in Fionem insulam & Falstriam, Willclmum, &c.

FINIS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ M. ADAMI
ET SCHOLIORVM VETVSTORVM
IN EVNDEM.

VETE.